

FRANCISCI PE-  
TRARCHÆ V. C. RE-  
RVM MEMORAN-  
DARVM,  
LIBER I.  
DE OCIO, Cap. I.

**S**ed mihi cuncta versan-  
ti, cum id solum tem-  
poris vixisse videar, quod  
ociosus aut solus vixi,  
visum est non aliunde  
quàm ab Ocio & solitu-  
dine potissimum ordiri: non modo, quod  
hic plurima & maxima vitæ meæ solatia  
processisse nouerim, sed quod multis  
etiam claris viris, iactatis inter curarum  
fluctus, huius portus quæsitum reme-  
dium recordabar. Cæterum cum solita-  
rij ocij duo sint genera, illud somno &  
inertiz amicum, quod quidam lucifugæ  
sectantur, qui villis suis vtuntur pro se-  
pulchris, & in illis sese infodiunt viuen-  
tes, nulla re alia quàm ocij cognomine  
gloriosi, non literato tantum, sed viro  
etiam obscœnum atque indignum com-  
memoratione prætereo. Alterum illud